)o(

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

IN omnibus rebus duplex ordo conſiderari poteſt, unus ſecundùm quod egreditur à principio, alius ſecundùm quod ordinatur in finem, primus pertinet ad artem, ſecundus ad prudentiam, hinc diverſæ fluunt hominum actiones, quæ non uno modo cognoſcuntur: ut enim taceam internas ingenii animíque operationes, vel ſolæ externæ (de quibus nunc, ne falcem in alienam meſſem immittam, tractare intendo) variæ ſortis ac conditionis eſſe advertuntur, indéque variam ſui Inveſtigationem deſiderant, dum ſæpenumero non tantùm ratione principii, ſed etiam temporis, loci ac finis differunt, ſunt autem tales

actiones, quæ humanæ cognitioni ſeſe offerunt, triplices, futuræ ſcil. præteritæ & præſentes, de futuris in tempore parum ſollicitus eſt Juris-Conſultus, nam futura præſcire, ex nihilo aliquid facere, & animis dominari ad reſervata Dei refert, atque illa ſolo ratiocinio & probabili tantùm plerúmque conjecturâ accipi, quantùm licet, conſtat; in præteritis itaque & præſentibus verſandum, ac ex eorum notitiâ venturis incommodis occurrendum eſt, hanc autem antiquitatis & negotiorum cognitionem, quantum quidem ad Jurisprudentiam ſpectat, non ſolùm ex Corpore Juris Romani, verùm etiam ex Statutis Germanicarum nationum & præprimis ordinatione Provinciali Franconicâ penes nos hauriri poſſe & debere certum eſt, ne, dum in peregrino Jure verſamur, juris patrii obliti eſſe videamur: ac licet optanda foret legum ac morum ſeu conſuetudinum & Statutorum concordia, hoc tamen in corrupta natura humana ad pia deſideria pertinet, neque verò propterea credendum à variis actionibus & juribus dependentia negotia fori potiſſimum & curiæ fallaci ac mobili inniti principio, quæ ſanè Jurisprudentiæ illata magna calumnia eſt, non ſolùm enim jus noſtrum, leges ac conſtitu-

ſtitutiones ſive Statuta & conſuetudines Imperii, quatenus ex principiis naturæ & Gentium fluunt, ſed etiam ipſum Jus poſitivum ex principiis Civilibus, immediatè procedens plerumque ſuo innititur Divinæ Providentiæ fundamento ex cujus ordine eſt, quod effectus mediantibus aliis cauſis provenire diſponat, & ſic cauſandi dignitas Creaturis communicetur, nam ordo cauſarum nobilior eſt, quàm effectuum, magìs igitur in eo perfectio providentiæ demonſtratur, dum ad dignitatem Regentis pertinet, ut habeat multos miniſtros & diverſos ſui regiminis per poteſtatem legislatoriam humanam & Judicativam executores, quantò altius & magìs Dominium ſupremum oſtendit, quantò plures in diverſis gradibus ei ſubduntur, nulla autem dignitas alicujus Regentis eſt comparabilis dignitati divini regiminis; conveniens igitur eſt, quod per diverſos gradus agentium fiat Divinæ Providentiæ Executio, quæ certè potiorem legum incertitudinis atque hinc oriundæ mobilitatis cauſam præcidit; cum igitur omnium ferè, maximè verò Reipublicæ interſit, ut cuncta illa ritè noſcantur, animísque talibus negotiis aliquando admovendorum firmius imprimantur, ideoque

plurimi doctiores viri & præprimis Prænobilis, Clariſſimus ac Conſultiſſimus Dominus PETRUS RODERICUS DEMERATH, Philoſophiæ & utriusque Juris in hâc Eoo-Francicâ Wirceburgenſium Univerſitate Profeſſor cum multorum approbatione in commodum ſtudioſæ Juventutis faſciculum differentiarum Juris communis & Franconici congeſſit, quæ cuivis munus Judicis obituro ſufficere poſſent, hiſce tamen aliquas notas adjicere ínque hunc finem artis pariter ac praxeos Franconicæ compendium publicæ luci libuit exponere, quod à Zoili morſu liberum te benevole Lector æqui boníque conſulturum, ac eo, quo conſcriptum eſt animo, nimirum ad gloriam Dei & ſalutem proximi recepturum confido.

CA-